



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.III. Sancti Patris Benedicti. M.C.XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

B E N E D I C T U S

V. Raphael
Sarmien-
tus.

Prodigium sui ævi claret P. F. Raphael Sarmientus noster, Hortensis, sacre Familiæ nostræ Cisterciensis Monachus, ea dicendi gratia & copia locuples, ut si eum cæteris conferre velles (ait Henriquez) parem vix aliquem invenire, majorem neminem posses. Celebrantur & alij ejusdem Monasterij Religiosi, qui utriusque Regni Castellæ & Galliarum Scholas, sua doctrina mirè illustrarunt, & magno discipulorum concursu Theologiam & Philosophiam docuerunt; alij Verbi Dei disertissimi Concionatores, Regiam Urbem, cæterasque illius Provinciae civitates, stupore & admiratione repleverunt. *Aug. Manrique, Chrysof. Henrig., &c.*

Caverellij
ingenij
monimen-
ta.

Caverellij nostri, Vedaftini Abbatiss major indices ex magnis meritis gloria; neque ab administrata solum prudenter utiliterque functione Abbatialis officij & in studiosos, Patres Societatis Jesu, aliosque novos Ordines, summæ liberalitatis fama; sed ob magnum ex litteris & commendaris scripto propriij ingenij lucubrationibus, partum decus: cujus floridum stylum in primis celebrat Ferreolus Locrius, & se non pauca pro Chronico suo mutuasse fatetur.

Petrus Rol-
lier Abb.
Verus Pau-
perum Pa-
ter,

In Monasterio S. Dionysij Hannoniæ extinguitur hoc anno, ingenti sui relicto desiderio Petrus Rollier, eximius Latiensis sive Blofienfis Reformationis promotor, qui Blofij, & Antecessoris sui Francisci Debehaut sancta sequutus strenuè exempla, suos omni modo lucrari & ad perfectiora concitare studuit, & celebre ob hoc ipsum fama Cænobium reddidit, ac vicina paribus studijs accendit. Celebratur in monumentis ejusdem Cænobij *Verus Pauperum Pater*, qui famis tempore, non liberalem se solum sed penè prodigium exhibuerit. *Ex cit. monim.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. III.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXIII.

V. Bernar-
dus Lubien-
sis Mon.

POLONIÆ sub rigidissimo cælo frigus, memorabili ferventissima charitatis, & devotionis exemplo, ex multorum cordibus eicit, Venerabilis Vir F. Bernardus noster Frideccensis, celebris Monasterij Lubienfis Monachus. Is in oppido Frideck natus, cum Pofnaniæ operam studijs littera-

rum navaret, & die Parasceveos, ex suburbio ad concionem, in Urbe ex more de Passione Dominica, habendam, singulari accensus devotionis studio properaret, clausas autem Urbis portas offenderet, moxque in lachrymas resolutus, seipsum accusaret, quod non pridie urbem intrasset: magno prodigio, sibi repente apertas portas deprehendit, & à tergore, nemine mortalium, interveniente denuo reclusas. Intravit autem, dirigente DEO in Monasterium nostrum Lubinense, ubi religiosissime vivens Presbyter ordinatus, sacra omnia cum lachrymis copiosis peragere est solitus. Scamnum pro lectulo habuit, modicoque usus somno, totum noctis reliquum tempus, vigilijs & sacris precibus dedit. Novitiorum creatus Magister, exemplo magis quam verbo omnes mirè lucratus, sacro fervore utilissime accendit. Nec diu superstit, cælo maturus. Sub agonem supremum Sancti Martini Turonensis exemplo, comparere auium malignum genium, generose increpans, & sese Fratrum commendans precibus, accepta à Priore Monasterij Generali absolutione, placidè os componens, & claudens lumina quietissime obdormivit in Domino, hoc ipso anno 1693. 1. Junij, è cuius tumulo odor celestis fragrantissimus continuo expirat, & ipse Beatus, Fratribus loci illius, crebrius singulari claritate circumamicus, in somnis videndum se præbuit. Sed & litteræ à vivente scriptæ, agrotantibus duobus applicitæ valetudinem optatam quamprimum restituere. *Ex vita per Andream Frideccensem & Matthia Ulbyszawskyum, &c.*

Memoranda singulis annis esset sanctissima Fulienfis Congregationis nostræ gloria & percrebrescens à sanctitate fama celebranda; quod conati Carolus à S. MARIA, & familiarissimus nobis R. P. Philippus Malabayla, vix obiter paucula ex innumeris delibavere; cum ipsa sanctissima Congregatio, & quisque Sanctorum illius, celebrari metuens, Divinos sibi exhibitos favores, tanta solertia dissimularent & tegerent, quantà filij hujus sæculi, suas celebrari laudes industria propalarent. Prodidit nonnullos ipsa innocentissima simplicitas, uti hoc ipso

*Joan. Bap-
tista à S.
Bernardo.*
ipso anno & tempore P. F. Joannem
Baptistam à S. Bernardo dictum, ut è
sexcentis ejus vitæ memorabilibus,
quàm paucissima à curiosis ejusmodi
rerum, adverterentur, & à præfatis
obiter describerentur. Fuit Joannes
Baptista genere Nobilis, ex Roman-
diola oriundus, & ex Clerico Immo-
lenti sacrae familiae nostræ Fulienti ad-
scriptus, in qua Angelicam omnino
vitam duxit. Cujus humilitas, pati-
entia in infirmitatibus corporis, & va-
riis eventibus & adversis, insignis præ-
terea ad amissum S. Regulæ obedi-
entia, sui que contemptus, summæ admi-
rationi omnibus fuit. In nocte obi-
tus sui visionem aliquam è coelo ha-
buisse, haud obscure significavit, un-
de & eadem nocte Mons ille S. Silve-
stri (locus Monasterij in quo vir fan-
ctus supremum decubuit & obiit) in-
solito & prodigioso fulgore longè la-
tèque resplenduit (distat viginti ab
Urbe Romana miliaribus) adeo, ut
etiam peregrini qui ad pedem montis
transibant, pergentes ad sacram aedem
Lauretanam, magno cum stupore ad
Monasterium occurrerent, causam tam
novæ media nocte lucis, indagantes;
certo nimirum indicio, quantum in-
de sydus eriperetur cœlisque inferretur.

Philippus Seguin. Carolus à S. Maria.
In Hispanijs, non impari sancti-
monia opinione fulget, sanctæ me-
moræ Elisabetha Monialis Monaste-
rij Sanctæ Annæ in Civitate Abulen-
si, cujus Virtutem & sanctitatem mul-
totes commendat Michael de Vaque-
ro, in Vita B. Mariæ Vola. Fuit in-
signi generis orta Nobilitate ex fami-
lia de Cueto, ejusque habetur memo-
ria in Menologio Benedictino Nonis
Novembris.

*V. Elisabe-
tha Mon.
Abulens.*
Congregatio Superioris Germaniæ
Suevica, maximo, non Canobiorum
solummodo sed & vicinorum omni-
um bono, & longè postorum, ex pul-
cherrimi exempli contuitu, commo-
do, velut Aquilæ renovata juventute,
hortante in primis Clemente ipso, Ro-
mano Pontifice, & successum strenuè
temporum decursu quod in rebus hu-
manis omnibus fieri quotidie cerni-
mus & dolemus) primum Monachi-
cæ Religionis fervorem reaccendit.

Unde multa statim auctoritas Mona-
chis, & incredibili quasi flore, Ver-
novum, in Paradyso Religionis sese
prodens, maximos Principes & Ger-
maniae Procere admiratione percel-
luit, ut qui novam rerum faciem in-
tuerentur, vix à lachrymis abstinere-
nt, omnes in Dei laudes erumperent, ejus-
que dexteræ mutationem hanc adscri-
berent, in ijs maximè Canobijs, in-
quibus requisita & probata Majorum
nobilitas, exceptiones quasdam à ri-
gore monastico majoremque licenti-
am deposcere, quasi jure quodam suo
videbatur. Inde, florente disciplina,
inque magnum splendorem adducto
Divini Numinis in aedificijs & Basili-
cis Benedictinis cultu, concursus ad
Canobia pœnitentium, sine numero
quoridianus, & dignissima imitatione,
pro conditionis cujusque qualitate &
facultate exemplis sese Monachorum
conformantium; ut in uno unico ho-
rum Canobiorum (ut fileam cætera,
pari, aut majori numero Medicos ani-
morum exponentia sive in majore
populorum frequentia occupata) bre-
vissimo paucorum a minorum decur-
su ducenta quinquaginta septem ho-
minum millia maculas conscientia
sua in nostrorū sinu eluerent, quod-
que mirandum magis Canobijs ejus-
modi neque in civitate aliqua sitis, ne-
que ullam animarum curam profiten-
tibus.

In Italia, splendidissimis & eru-
ditionis, & Monasticae perfectionis ra-
dijs effulget Ill^l Dn. Victorinus de
Aversa, ex Monacho S. P. N. Mona-
sterij S. Trinitatis Cavensi, ejusdem
primū loci, inde S. Severini apud
Neapolim, Casinensis denique Abbas,
pro meritis postea Castrimaris, demum
Ariani Episcopus. Præsul summa cum
reverentia nominandus. Reliquit plu-
ra magni ingenij, sed & solidae pieta-
tis monumenta, eaque inter librum do-
ctissimum, quem Harmoniam Theo-
logicam inscripsit, Praxim ludiciariam
in causis Religiosorum. Libros ali-
quot de Vanitate Mundi, & alia diver-
sa. Ex Alexandro Rudolpho Scriptore
Cavensi, & Præposito Sublacensi, Caieta-
no, Marchesio, &c.

In Hispanijs singulari eruditionis
nomine celebratus hoc anno fuit Di-
dacus Sanches Carragetenfis Mona-
chus

*Successus
felices ejus-
dem.*

Victus.

*Victorinus
de Aversa.*

*Episcopus
Ariani.*

*Ejus scrip-
ta.*

*Didacus
Sanches.*

ehus, qui nihil prius habuit, quam Patrum sanctorum scripta evoluere, quo in studio fuit assiduus, eoque sibi magnam scientiam comparavit, nec sibi soli, sed proximis & posteris profuit, miseratus hominum nimiam postremo hoc saeculo in omne praecipitium vitiorum proclivitatem, quos ut majore revocaret auctoritate, suis ipse, innata animo demissione, diffidens & verbis & meritis, varias & ponderosas ex sanctis Patribus collegit sententias, quibus homines ad Virtutem incitaret, & vitij turpitudinem graphice, & tanquam in tabula ob oculos poneret, atque singulis ejus horrorem incuteret. Ex his magnum omnino volumen extitit, quod *Agriculturam Spiritualem* appellavit.

*Agricultura Spiritu-
alis.*

Gabriel Castellanos.

Nec minore gloria Gabriel Castellanos, Monachus toties laudati Hortensis in Hispania Caenobij natus, Vir Spiritu Benedictino plenus, & ob hoc ipsum, Novitiorum tantae Reformationis Magister electus, idem inter doctissimos Ordinis habitus, acer in disputando, subtilis in distinguendo, clarus in exponendo, & in omni Scholastici studij genere versatissimus. Fuit idem & Abbas deinceps, & Visitator Generalis, ac Definitor Congregationis, sibi similis semper, semper humilis, semper omnibus utilis, magnum Hispaniae ornamentum. *Ex Aug. Marriq. Chrystost. Henriq.*

*IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. IV.
Sancti Patris Benedicti, M. C. XXIV.*

*Annae
Cardinalis
noster.*

EMINENTISSIMUS Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalis Annas noster de Escars, Ornamentum Benedictini Ordinis singulare, in quo & Benedictus Pater sanctissimus & omnes Sancti ejusdem Ordinis revixere Cardinales, cum aliquandiu Ecclesiae suae Lexoviensi, totique Galliarum Regno, exemplo praerulisset egregiae sanctitatis, à Rege Henrico IV. ob gravia Regni & Regis negotia, Romam mittitur, ut ibi Vice-Protectoris Regni Franciae amplissimi officio fungeretur. Ibi tam Ecclesiae Romanae & universali, quam Regno Galliarum, servivit utilissimè, & pie consuluit, magno ab omnibus in honore, ob ipsam sanctitatis opinionem habitus, ipsi Romano Pontifici eo ipso nomine veneran-

*Ipsi Rom.
Pont. ve-
nerandus.*

us, à quo iam magni momenti rebus fuit occupatus, maxime in Congregatione Sacri Officij & Episcoporum. Constitutus etiam fuit Praefectus Congregationis Converterum, & electus Protector Cisterciensium nostrorum, quos insigniter coluit, & Reformationis Spiritum primavum conservari, pro virili allaboravit. *Ex Vita, & communicatis R. P. Antonij de Scala, & R. P. Anandi Tribout.*

Nec minore splendore elucescit in Gallijs Renata cognomento Junior, seniori nuper pro meritis succedens, in S. Petri Remensis Praelatura, haeres ut nominis, sic sanctitatis, decus & ipsa immortale Lotharingici & Guisij stemmatis, Inaugurata solemniter fuit, in praesentia suae Dominae Matris Catharinae serenissimae Cliviae & Nivertis Ducissae & Magnorum Galliae Principum &c. Episcopo Catalaunensi sacris solemniter operante, adstantibus sibi, Suesionensi, Laudunensi, Bellovacensi & Silvanectensi Pontificibus, & à Philippo de Bec, Remensi Archiepiscopo consecrata, ipsa in Divinarum rerum meditatione pie absorpta, ita ut nihil quam muneri novi expenderet gravitatem, suamque & erga DEUM & erga subditas sibi moniales obligationem. Talis initio Praelaturae Renata Junior fuit, nihil jam tunc cedens majori & seniori, cujus uti neptis erat sanguine, sic Virtutum omnium perfectissima haereditate. Vix gustato regiminis honore, *totam se*, inquit Vitae scriptor, *ad excolendas mentes, tum propriam, tum aliarum omnium dedit: perfecta Regularis disciplina observatione, omnibus splendore sanctitatis facem praefereus, nunquam nec die, nec nocte in Choro desiderata. Divinas laudes, elegantissima illa voce, qua à DEO donata fuerat Angelorum more continuo modulari gestiebat. Domino autem orationis eo praedita erat, ut vix invictum ab ea animum relaxaret, nec minus quatuor vel quinque horis, huius sanctissimo operi, jugiter intenta per singulos dies impendebat, DEO mentem purissimam caelestibus delicijs ita copiose complente, & affatum cumalante, ut saepenumero extra se rapti videretur. Interdum inientia in Oratorio contemplationi immota & sensibus plane destituta, crebris moribus, & frequenti strepitu à sacra quiete excitari haud poterat, vel si quando expersisteretur,*

*Præfector
Cisterciensium.*

*Renata
Jun. Prin.
Lothar.
Abbat. &
manf.*

*Annata
per omnia
seculum.*

Vita ejusdem.

*Abstrahit
Divina.*